



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **PRAESTANS TEMPLUM** PAROECIALE TEMPLUM SANCTO IOANNI BAPTISTAE DICATUM

IPSUMQUE IN ARCHIDIOECESI BUCARAMANGUENSI SITUM,

AD DIGNITATEM BASILICAES MINORIS ATTOLLITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Praestans templum Sancti Ioannis Baptiste, quod in loco Girón, scilicet in archidioecesi Bucaramanguensi, invenitur, artificio quodam venustateque conspicuum, catholicam pietatis operam testificatur. Ibidem Sanctus ille studiose colitur inibique fideles ad maiora patranda eiusdem exemplo incitati compelluntur. Insignes insuper reperiuntur plurimorum sanctorum memoriae ac ipsius Iesu Christi, cruci affixi, veneranda imago. Pastoralis praeterea ibidem actio efficaciter explicatur ad communitatis ecclesialis utilitatem ac spiritalem progressum. His ob oculos habitis rebus, Archiepiscopi Bucaramanguensis precibus occurrentum sine cunctatione censuimus, qui suum simul ostendens postulatum simul suorum fidelium, enixe efflagitavit ut paroeciale templum Sancto Ioanni Baptiste dicatum, quod in paroecial templo loci v. d. Girón, in ipsius archidioecesis reperitur, in Basilicarum minorum album referretur. Itaque ea quae statuit Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum comprobantes, factis a Nobis quondam potestatibus, Apostolica pro Nostra auctoritate sacrum aedificium, de quo supra est facta mentio, Basilicae minoris dignitate honestamus ac decoramus, cunctis additis iuribus et privilegiis, quae ad id genus templa pertinent. Serventur deinde quae decretum iubet «de titulo Basilicae minoris» die IX mensis Novembris, anno MCMLXXXIX evulgatum, quibuslibet minime obsistentibus rebus. Valde sane tandem memorare placet Sancti Ioannis Baptiste virtutes. Ad eiusdem utique effigiem ac effata mentem et animum referentes qui nunc sunt fideles, naviter Evangelii ipsi sint praecones et Salvatoris beneficiorum nuntiatores assidui. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXX mensis Iunii, anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo.* ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status © Copyright 1998 - Libreria Editrice Vaticana
